



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibus Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt II. Qualiter Fidei virtus continuo exercitio augenda, & confirmanda sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

quam DEVS cordibus nostris infudit ad illuminandam rationem, & voluntatem inflammandam; sicque ingressi sunt, per divinæ dispositionis ostium. Alij vero, etraverunt in solitudine rationum humanarum, & argumentationum naturalium, quæ amori divino instillando, minus proportionatæ, cum supernaturali, & efficacissimo fidei vivæ medio, comparari nequaquam possunt.

Qualiter alijs considerationibus uti possimus. §. 2.

Non intendimus sanctas meditationes, & considerationes, quæ multum etiam utilitatis habent, improbare, & profligat eas tantum admodum volumus. Primum, ut ad refuscitandam

fidei gratiam directæ, magis magisque, divinas fidei veritates, in animam instillent, & radicent. Secundum: quod animæ in via spirituali provectæ, ut brevissimo temporis spatio multum itineris expediant, non ita inhaereant considerationibus, quibus tamen aliquando, ariditatis præsertim tempore, sicut & rebus quibuscunque fidem excitantibus, uti debent, sed magis in omnibus operibus, & occasionibus, fide, tanquam præcipuo accendendæ voluntatis nostræ, & divinæ adimplendæ instrumento sedulo utantur. Sic igitur vivit justus ex fide sua, & in omnibus necessitatibus, tribulationibus, prosperitatibus, & adversitatibus, eam si bello considerationis exsiccans, divini Numinis in se accenso amore, nutritur ac sustentatur.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS,

Fidei vivæ in virtutum singularum exercitio praxis.

CAPVT I.

Fidei practicæ exercitium singularum virtutum perfectioni plurimum conducit.



FIDEI virtus vivaciter exercitata, efficacissimum est virtutum acquirendarum medium, & securissimum vacuum in vorticibus periculorum, & laborum hujus vitæ; solidum enim, & unicum est, totius operæ spiritualis fundamentum.

Sicut ergo prima & possissima artificis sollicitudo est in ponendo ædificij fundamento, cui reliqua superstruatur machina, ita quoque omni diligentia, & studio anniti debet Christianus, ut fidem veram reliquarum virtutum basim tam aptè firmiterque concinet, ut totam ædificij structuram ad caelos supererectentem, non gravatè, & absque ruinæ periculo sustineat; ideoque enim Apostolus fidem substantiam nominavit, tanquam fortiter subsistens terrenis sperandarum fundamentum, & reliquorum, quasi accidentium, substantiale subiectum.

In libro Apocalypsis S. Joannis Apostoli, primum civitatis illius Dei fundamentalem lapidem legitur fuisse Jaspidem; quod si penitus introspectetur, mysterio non vacat; nam videtur in uno Jaspide natura cæterarum omnium gemmarum, colores quasi deposuisse: album Adamantis, rubeum Rubini, viridem Smaragdi, caeruleum Topazij, & flavum Amethysti: quod aptissime vivæ fidei naturam exprimit: nam patimodo, in illam unam, omnium virtutum semina deposita & coadunata sunt: sicut autem fides, omnes alias virtutes, ut Deo placitè sint, debet præcedere *sive fide enim*, ut inquit Apost. *impossibile est placere DEO*: Ita exercitium & praxis

fidei, reliquarum virtutum actus, ut merito, & perfectione excrecant, præcedere, manuducere, & sublimare debet.

Quia igitur tanti momenti est, de quo agimus, exercitium, ut superius latè ostensum est, operæ præcipuum existimavimus, ad particularia descendendo, quasi oculis subicere, qualiter, tum in virtutibus interendis, tum eradendis vitij & passionibus, alijsque quæ in decursu vitæ hujus exortantur occasibus & exercitijs, vivæ fidei praxi, non sine magno fructu, uti possimus, & debeamus.

Inter virtutes potro, quia præcipue sunt tres istæ Theologicæ, *Fides, Spes, Caritas*, de ijs proximè agemus, ac in primis docebimus, qualiter fide fidem succedere, & magis, magisque augete debeamus.

CAPVT II.

Qualiter Fidei virtus continuo exercitio augenda, & confirmanda sit.

Fidei virtutem succedere, aut vivificare, nihil aliud est, quam offerentibus sese supernaturalibus divinorum mysteriorum arcibus, calligantem, & quasi natura sua reluctantem intellectum, diligenti promptitudine, & certitudine indubitata subdere, & captivare in obsequium fidei, & incomprehensibilis veritatis: mox in memoriam revocando Apostolicum istud: *O altitudo divitiarum sapientia & scientia, DEI: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viae ejus!* & quod ex Isaia adjungitur, *quis enim cognovit sensum Domini?* sicque admirari, & revereri debemus, articulos fidei nostræ: utpote, tam incomprehensibiles, & ineffabiles, sicut ipse DEVS hoster.

Illud quoque credendi difficultatibus objice, *noli altum sapere sed time: nam qui scrutator est* Prov. 25.

B 4 maje.

IESU
spiritu

experto, quæta
rationes præcipue
§. 1.
exercitio hoc præcipue
tingitur, fidei enim
passione dignum est.
æ justitæ in Ecd
lis, infallibilis illu
ci, & cæca obdura
nem, animam non solum
sicut infirmam
etiam spiritualia verit
æ aliquot consideratio
tunt, in quantum ad
ei ignem, aliquid
hibentur.
qui in hoc tam
rum veritatum
licet aliqui
niter, & sic, ut
s quoque præceptis
in vulgare aut
consideratione cert
licitatis, & inf
adum, æntis
vina veritate
nantes, tam
lectum illustrat
ant, quomodo reli
mò & infuso
poterimus fuis
am quorundam
videmus
idiotas, admodum
fo, & confite
rmatus, ipa
nes, tam in
& labore cons
ne dignissim
erius plena
genio etiam, &
os exercitio
agglomerand
medis ac
defesse studio
s, ac divina
pondere, in
christianæ ju
antum human
tates ruz
vit quidam
æ fidei iter,
e vitæ temp
orum studi
i, neque ali
quæque div
ot hominum
ationis ipso
d & multo
meditatos
discursibus
æ orationis
rentia ruz
iores viam
viam fidei,
quæ

maiestatis, opprimetur à gloria, neque aliter fidei esse, quam quod incomprehensibilia, & inscrutabilia sunt.

Sed præterea non modicam in nobis exultationem, & lætiam excitare debemus, quod dignatus sit Deus, tam admirabiliter illuminare tenebras nostras, & infundere supernaturale fidei lumen, & ineffabilis suæ sapientiæ particeps, tantorum mysteriorum efficiere cognitores, quo nobilissimam Deo consecrantes animæ potentiam, gratissimum fieret de optima possessione nostræ holocaustum suavissimi odoris Domino. Intimè quoque nobis applaudere, & congratulari debemus, quod DEUM habemus tam magnum, infinitum, & superadmirabilem; ut & opera ipsius obstupescenda, & mysteria incomprehensibilia, omnem intellectus nostri capacitatem exsuperent. fidei quoque certitudinem in nobis ipsa fidei praxi excitare, & vivificare poterimus, si consideremus, si dem nos docere, ipsa mysteria revelata, esse infallibilia, & certius divina veritate cognosci, quam si ea pro palam videremus, aut sensibus contrectaremus, ut testatur S. Petrus. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, &c.*

Hinc nasci debet firmissima determinatio, omnia potius mundi tormenta perpetuendi, pro minima cæremoniæ fidei confessione & protestatione, quam vel tantillum in ejus detrimentum, rectorum deflectere, etiam si ut Apostolus inquit, *Angelus d. calo evangelizet vobis, præterquam quod Galat. 1. et angeliz. avimus.*

Exercitium fidei circa Scripturam sacram.

§. 1.

Huc pertinent, maxima eorum omnium, quæ acceptura sacra tradit ponderatio, qua non quasi ab homine, sed tanquam à Spiritu Sancto, qui per os servorum suorum loquebatur audiremus, ea accipimus ita vera & veracissima, ut *do nec transeat calum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant, & quod calum & terra transibunt potius, quam verba Dei nullo modo prætere possint; sicque introspiciendæ, & penetrandæ sunt veritates istæ, ut veritates infallibiles, & æternæ; & cum tali legendæ reverentia & attentione, qualem merentur sacratissima oris divini pronuntiata.*

Particulari autem veneratione suspicienda, & suspicienda sunt, Sacrosancti Evangelij, præsertim sacro Christi Domini ore prolata verba, quorum altissimi cordi nostro infixorum solidum, verum, ac litteralem intellectum (ut S. Francisco DEVS revelavit) scrutari debemus non ad nostræ libidinis phantasias contortum, aut ab eo, quod circa sanctum Evangelium Apostoli aut Sancti JESU Christi Spiritu viveutes practicaverunt, ullo modo alienum.

Circa Sanctam Ecclesiam ejusque exaltationem.

§. 2.

Circa Sanctam Ecclesiam Jesu Christi sponsam, ejusque caput Christi in terris vicarium Romanum Pontificem, virtus fidei vivificanda erit, magnificando hunc Christi vicarium, quem pro se Deus in terra constituit caput visibile, & Judicem Ecclesiæ suæ supremum, cui cæli, terræque claves tradidit, quibus sacræ Scripturæ signacula, & loca difficilia, infallibili autoritate aperiat, ut ab eo tanquam capite, totius veræ lucis

influxus, in Ecclesiæ membra descendat.

Eodem fidei vivæ intuitu, venerabundi considerabimus columnam & firmamentum veritatis sanctam Ecclesiam visibilem, invisibili Spiritus sancti assistentia, & infallibili DEI providentia subnixam, & circumdatam, ut in fidei determinatione, nec error ullus possit subreperere, nec portæ inferi adversus eam prævasere: ac idcirco fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum semen unquam deficiat, à sponso suo JESU Christo amantissimè, usque ad finem mundi obumbradam.

Singularis hinc nascitur filiorum S. Ecclesiæ ad obediendum promptitudo, dum illud Christi Domini merentur: *Si autem Ecclesiam non audieris, sit tibi sicut ethnicus & publicanus;* ac idcirco omnia quæ Ecclesiæ determinat, etiam de fide non sint; libentius amplectuntur, quam aut proprii judicij, aut quorumlibet vitiorum doctrinam sentia.

Non vulgariter quoque eam amant, & reverentur, quam ex fide ita sciunt à Sponso adamatam, ut pro ea sanguinem suum non dubitent effundere.

Omnes Ecclesiæ ritus, ita venerantur, ut pro eorum minimo, si ita DEI gloria postulare, libentissimè vitam impenderent: veros Ecclesiæ filios, magni æstimant, magno favore pro ejus augmento, pro prælati gubernatoribus, aliisque ejus membris, Deum orant, in declinenter supplicantes, pro confortatione eorum, qui eam defendunt, & muniant, vel armis, ut Christiani Principes; aut inobedientium, & rebellium castigatione, ut sancta inquisitio; aut calamo, ut vigilantis studio, quod Catholicorum Doctorem est officium.

Hinc ulterius procedit, certa legitimum filiorum nota, ardens propagationis, & exultationis sanctæ matris Ecclesiæ zelus, omnibus quidem Ecclesiæ filijs communis, Prælati tamen, ac Religiosis eum ob finem præsertim institutis, ipsi etiam, qui aptis ad hunc finem talentis à Deo instructi sunt vel maximè necessitantur quamvis & multa obeunda sint pericula, multi exanthlandi labores, ipsa etiam vita non sine tormentis plurimis, ad Ecclesiæ libertatem, & gloriam, aut animarum salutem, ponenda sit, ut Apostolicæ dignitatis participes effecti, cum Apost. PAVLO dicere possint, *gaudeo in passionibus Christi, pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesiæ, tanquam fideles nimirum cooperari Sacrosancti sanguinis JESU Christi, suo adjutorio disponentes animas, ad recipiendam gratiæ sanctificationem, quæ est ex passione, & membris Christi.*

Veri quoque divinæ gloriæ, quæ maximè Ecclesiæ dilatazione promovetur, zelatores, istis evangelicis prædicatoribus toto orbe dispersis, dum aliter nequeunt, perpetuo orationis exercitio collaborant, sanctæ matri suæ Ecclesiæ, toto affectu subvenire desiderantes, ac propterea, ipsi qui id faciunt, ardentissimo amoris, & benevolentia nexu junguntur: è contrario vero hæreses, summa aversione abominantes, hæreticorum consuetudinem, & conversationem oderunt canapeius & angue. Ipsas etiam opinionum novitates, volatili magis ingeniorum subtilitate, quam doctrinæ antiquitate, & soliditate fundatas, tanquam veræ veritatis Ecclesiasticæ inimicas, & majorum errorum seminaria averfantur; à recta namque & sincera, vivæ fidei via, in ipsas etiam, quæ determinata non sunt, tantò quis amplius aber-

aberrat, quando à communi sanctorum Patrum doctrina recepta & usitata magis recedit.
Unde & in libris legendis, & concionibus audendis, non gustum, aut sensum delectationem, sed ædificationem inquirunt, majoremque devotionis ex scriptura sacra, præsertim sacrosancti Evangelij lectione, fructum hauriunt, quam quorumlibet aliorum librorum: quanquam & hi, dum sanam doctrinam continent, quia magnæ utilitatis esse solent, in pretio & veneratione sint habendi.

CAPVT III.

Qualiter fides circa suos articulos sit vivificanda, & primo circa DEI cognitionem.

Hæc autem est vita æterna, inquit Salvator, æternam Patrem suum alloquens, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JESUM Christum; Ita Dei, & JESU Christi cognitio, fidei nostræ substantia, principium, & fundamentum est totius felicitatis, & beatitudinis æternæ: imo & perfecta sanctorum, quæ in clara Dei visione consistit, beatitudo. Sed cum hanc carnis nostræ mortalitas nondum admittat, ad fidem recurrere debemus, ejus obscuritate contenti; quia DEVM ut in se est, & DEVM incarnatum cognoscetes, fontem attingimus præcipuorum operum creationis mundi, & redemptionis generis humani; quæ principalia sunt fidei nostræ fundamenta.

Prima namque prædictarum cognitionum, primam symboli partem, quæ ad primam Trinitatis personam refertur: *Credo in DEUM Patrem omnipotentem, Creatorem celi & terra, ceterosque divinitatis articulos complectitur*, qui ad hunc primum referuntur.

Alteram verò, alteram eiusdem Symboli partem, & articulos Sacrosanctæ humanitatis Christi Domini: sicut enim corpora cælestia duobus voluntur polis, arctico, & antarctico, ita & omnes fidei orbes five articuli, duplici cognitione fundantur, DEI, & JESU Christi.

Quia ergo hæc cognitio fide acquiri, & augeri debet, necessarium erit declarare, qualiter circa ipsum DEVM fidem exercitare, & praticare debeamus, unde copiosus promanabit fructus, magna Dei æstimatio, quam individua sociabunt comites, reverentia, amor, & gratiarum actio.

De divinis perfectionibus S. 12

Primò, quid sit DEVS, non manifestat fides, neque enim possibile est humanæ mentis aciem, eo in hac vita pertingeret verumtamen, quæ de Deo per fidem revelata accipimus, tanta, tamque sublimia sunt, ut ipso Deo sint digna. Fide enim confitemur, Deum ita esse magnum, immensum, ac incomprehensibilem, ut major, aut æqualis cogitari non possit: unde eidem omnium omnino rerum magnitudines, & perfectiones, intellectu hominis, & Angeli imaginabiles, in summo perfectionis gradâ attribuimus, infinitam sapientiam, bonitatem, potentiam, sanctitatem, pulchritudinem, justitiam, misericordiam, ac specialiter omnipotentiam tantam, tamque universalem, ut totius mundi, omnique creaturæ fabrica, non amplius consistit Deo, quam

quod inquit David, *ipse dixit: & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt: & quod omnem excedit admirationem eadem, qua hunc mundum facilitate, alios quoque milenos æqualis, imò & majoris pulchritudinis, magnitudinis, & ornatus unico momento, & nutu creare possit.*

Fide agnoscimus, & fatemur: DEVM res istas omnes sine necessitate creasse, sine lassitudine gubernare, sine ulla mutatione eundem permanere, & unicuique sine distractione providere, omnia à Deo dependere, ipsum verò à nullo, res omnes mutabiles, Deum sine ulla mutatione eundem permanere, omnia ex diversis composita, Deum nec compositionem pati, nec divisionem, cætera innovari, & veterascere, Deum autem semper eundem ipsum esse, & annos ejus non deficere, Creaturas omnes temporum motibus, & differentijs mensurari, præterito, præsentis, & futuro, sed Deo in immutabili æternitatis suæ instanti, præteritum & futurum semper esse præsentissimum.

Denique fide profitemur: omnem rerum creaturam essentiam, sapientiam, potentiam, secundum divinæ voluntatis beneplacitum, limitata esse, & finita; Sed divinam naturam, omnemque ejus perfectiones in finitas esse, neque, à quoquam coangustari posse, res omnes, principio incepisse, & sine finire, posse, sed solum DEVM sine principio & sine omnium esse principium, & finem omnia solo Dei nutu annihilari posse, cum solus ipse essentialiter existat.

Tanta porro, & tam angusta Dei magnitudo est, ut inquit Sapiens, *tanquam momentum statera, sic est ante te orbis terrarum; & tanquam gutta roris ante lucem, quæ descendit in terram.* Tanta pulchritudo, ut omnis creaturarum decor, ad Dei conspectum offuscetur, tanta sapientia, ut omnia alia, hujus respectu, stulticia sit & ignorantia.

Est præterea DEVS summus bonorum amator, gratus, & copiosus servitorum sibi exhibitorem remunerator: è contra summus impiorum inimicus, abominator iniquitatum, & justissimus peccatorum castigatorem.

Ac denique, in omnibus omnino perfectionibus suis est infinitus, immensus, ineffabilis, incomprehensibilis, ut revera quidquid perfectionum divinarum intelligendo attingere possunt sublimissimi seraphini, quasi nihil sit respectu ejus, quod ipsorum aciem superexcedens, adhuc infinitum, & immensum intelligendum restat.

Fidei praxis circa operationes DEI ad extra, & de creatione animationalis. S. 2.

Facile hinc videre licet, quam altè, & sublimiter de Dei magnitudine fides catholica tentat, cuius, hoc, quod diximus officium est, prænumeratas perfectiones omnes, animo Christiano insculpere, & ad tanti Dei profundam reverentiam, & supremam lætitiæ, quæ soli DEO debetur adorationem, promovere, & ita vivaciter convincere, ut se, vitamque suam paratissimus sit, pro veritatis testimonio impendere.

Majestatem hanc supremam, duobus modis se communicasse fides docet. Primò *ad extra* (ut vocant) videlicet per creationem. Altero verò *ad intra*, id est, per generationem, & spirationem æternam mysterij Sanctissimæ Trinitatis, Circa utrumque fidei praxim tradere non abs re fuerit.

Primum itaque, fidei oculis intuebimur, qualiter

JESU

spirit.